DE SCABIE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD MEDICINAE...

Francesco Farlatti

De Scabie

Dissertatio Inauguralis

Quam

Ad Medicinae Lauream

Rite assequendam

In celeberrima ac pervetusta studiorum

Universitate Patavina

Publicae disquisitioni submittit

Franciscus Farlatti

Forojuliensis

e Fano Sancti Danielis

Patavii

Typis Penada

MDCCCXLII

151

A VOI
DILETTI GENITORI
PER AMORE IMPAREGGIABILI
QUESTO PEGNO
DI NON PERITURO AFFETTO
NEL GIORNO
PIÙ FAUSTO DI MIA VITA
RICONOSCENTE CONSACRO

Digitized by Google

Morbi definitio et synonymia

Scabies audit dermatis chronica contagiosa affectio, quae cutis duritie, asperitudine atque pruritu nunc levi nunc permolesto designatur, incipiente inter digitorum interstitia manuum et dein ad manuum dorsum, artus superiores et reliquum etiam corpus adscendente cum pustulis aut vesiculis modo discretis, modo copiosioribus, in universo fere corpore excepta facie erumpentibus, e quibus materies seroso-lymphatica acris separatur. Ex pustulis scabiei in posterum saepissime verum extricatur pus, et post harum pustularum rupturam odor peculiaris evolvitur ingratus; pustulae dein crustis obteguntur, quae dum discedunt plagam relinquunt nunc ulcere defoedatam, nunc vero lenta desquamatione cuticulae se consolidantem. Scabies quoque aliis nominibus insignitur et revera passim a diversis auctoribus *pruritus impetigo*, *psora* appellatur.

Symptomatologia

Symptomata scabiei saepe saepius modificantur prouti morbus in primis exordiis, vel post aliquod tempus ab ejus principio consideratur. Prodromi scabiei ut plurimum evadunt pruritus, ardor et calor auctus acutus inter digitorum manuum phalanges modo ut aegri ad scalptum saepissime impellantur. Nonnunquam ab initio sensus voluptatis persentitur inter digitos manuum, quem post breve tempus dolor urens subsequitur. Post haec phaenomena, quae nunc per biduum vel triduum protrahuntur, nunc solummodo per nycthemerum continuant, vesiculae aut etiam pustulae apparent ab initio inter digitos insidentes, dein quoque dorsum manuum, artus superiores, inferiores et universum plane corpus occupantes praeter faciem, quae nunquam vel saltem rarissime vesiculis et pustulis scabiei inquinatur. Pustulae et vesiculae interdum coacervatae, aliquando minima in copia superficiem tenent corporis, nunc ad manus limitantur alias ad integram cutem diffunduntur. In posterum in diversis corporis partibus, pruritu vexante, maculae rubrae irregulares oriuntur; quae quidem plus minusve efflorescunt, paullatim liquido seroso-lymphatico indolis acris irritantis implentur, elevantur pustularum sub forma. Pu-

Digitized by Google

stulae hujusmodi fere semper peripheria intense rubra instruuntur, et basi rubra inflammata atque valde sensili insidunt, frequentius hinc inde deteguntur sparsae, alias coacervatae et conjunctae observantur modo, ut, dum sub confricatione et scalptura rumpuntur, plagas interdum peringentes ingenerent. Frequenter in hac morbi periodo de vespere febris invadit, quae quidem intensitate discrepat, prouti vires individui sunt plus minusve evolutae, et prouti etiam pustulae sunt plus minusve ad diversas corporis partes extensae. Attamen inficiandum non est in scabie, et speciatim dum jam ab aliquo tempore haec adfectio inceperit, aliquando ne minimum quidem febris vestigium observari. Pustulae paullatim ad perfectam maturationem accedunt, et maximum culminis gradum ostendunt, dein vel sponte rumpuntur vel per aegrotantis confricationes arte lacerantur, humorem plorantes serosum, acrem, tenuem, partes vicinas cutis quam maxime irritantem, unde per ipsum humorem facillime adfectio aliis individuis communicatur. Per hujus humoris irritantis influxum novae et quidem copiosae renovantur pustulae, qua de re in uno eodemque individuo adfectio ulterius et latius expanditur. Properam nonnulli censent, sub pustularum ruptura morbum facillime resolvi, nam praeter quam quod saepissime aliae renovantur pustulae, interdum

etiam plagae enascuntur, quae modo facili negotio sanantur et modo post aliquod tempus in ulcera et quidem malae atque perversae indolis convertuntur. Fateri tamen oportet, quod in casibus simplicioribus, aegri, nulla labe foedati, scabie enm pustulis discretis afficiantur, et post rupturam pustularum desquamatio cuticulae exoriatur, cui haud infrequenter morbi perfecta resolutio superaccedit. In scabie aegrotantes ab initio usque ad finem morbi peculiarem edunt odorem ad instar mucoris.

Symptomata vero ulterius intenduntur, et functiones etiam, tam vitae organicae quam vitae animalis, plus minusve in compassionem trahuntur, quoties morbus per diuturnum continuet tempus, vel ingentem occupet systematis cutanei plagam. Revera formositas partium externarum pro maxima parte infringitur; aegri fiunt tristes, morosi, melancholici; in posterum etiam functiones progredientes et regredientes vitae reproductivae laeduntur, digestio difficilis et lauta, secretiones et excretiones irregulariter absolvuntur, adaugetur abdominis volumen, tument glandulae mesenteru, aegri agrypnia, insomniis, debilitate conqueruntur, et nisi per aptam therapeuticam methodum morbi progressus cohibeantur, marasmus, tabes ipsaque mors sequelam scabiei neglectae et pervicacissimae constituunt.

Cum vero indubitatum sit, scabiem aliquando syphilidi consociari et quodammodo de indole hujusce universalis dyscrasiae participare, hinc sponte consequitur hisce in casibus praeter symptomata scabiei quoque et phaenomena syphilidis ad secundum vel tertium stadium perventae praesto esse

Diversae a variis auctoribus prolatae fuerunt scabiei divisiones. Respse a quampluribus scabies in veram seu idiopathicam vel contagiosam, et spuriam seu symptomaticam partitur. Alii scabiem in siccam et humidam sive crassam diviserunt. Non defuerunt qui scabiem sporadicam, epidemicam atque endemicam consideraverunt. Demum quoque haec adfectio, in simplicem et complicatam, in periodicam seu recurrentem, retrogradam seu metastaticam et criticam, vel larvatam distincta fuit Inter has multiplices scabiei divisiones, ni mea fallit opinio, illa, per quam scabies in veram et spuriam distinguitur, magis in praxi se commendat, et numerosioribus scriptorum suffragiis suffulcitur. Scabies vera vel idiopathica, seu contagiosa omnibus designatur characteribus, quemadmodum paulo supra in hypotyposi scabiei exposuimus.

Scabies vero spuria est pariter impetigo vesiculosa aut pustulosa quae aliquibus externis modis cum vera congruit; sed perspectis aliis cha-

*

racteribus, ab ipsa toto caelo differt. Et reapse in scabie spuria observantur nunc papulae disjunctae, durae, coloris sub-rubri, nunc pustulae albescentes, serosae, diaphanae cum aliquo cutis prurito; attamen scabies spuria differt a vera ex eo, quod per contagium non incipit, neque per contagium ad alia dilatatur individua; scabies spuria faciem et partem capillitium capitis aggreditur, dum in vera nunquam vel saltem rarissime facies et reliquum caput pustulis inquinatur; demum scabies vera frequenter absque ulla complicatione decurrit systematum vitae plasticae, dum in scabie spuria semper functiones vitae reproductivae a longo tempore laeduntur, dum uno eodem tempore aliae dermatitides chronicae praecesserunt, et adhuc decurrunt uti essent, herpetes, psoriasis, icthyosis et sic porro

Quamvis primo intuitu diagnosis scabiei facilis videatur, tamen persaepe practici etiam eximii, pluribus difficultatibus obruuntur, in recta scabiei diagnosi proferenda

Et revera non semper pustulae scabiei intra digitorum phalanges incipiunt, dum rumpuntur, maculas, crustas et abrasiones diversae formae in genere, quae quidem cum aliquis adfectionibus confundi queunt, relinquunt. Attamen frequentius scabies cum zostere et herpete confunditur; qua de re pretium operis existimo, discrimina expo-

nere, quae inter scabiem et has ultimas adfectiones vigent. Et in primis, tam in scabie, quam in zostere vesiculae et pustulae adparent prurientes, attamen advertendum est, quod zoster speciatim suam figit sedem in pectore et abdomine, incipiendo ad sternum, et procedens ad axillam alterutrius lateris et ad columnam vertebralem, vel etiam ab umbilico dirigitur ad regionem lumbarem, efformando quasi zonam, ex quo nomen zosteris huic adfectioni tributum fuit. Rarissime pustulae et vesiculae zosteris extremitates et collum occupant. Porro zoster designatur plagis latitudinem volae manuum aequantibus, pustulae sub forma racemosa conveniunt, pruritu molesto distinguuntur, quemadmodum si adesset aqua fervida intra ipsas. Demum zoster minime iodolem contagiosam induit, ex gastrica colluvie potissimum pendet et citius atque facilius prae scabie purgantibus, emeticis, diaphoreticis cedit. Quod si hisce omnibus addere velimus symptomata zosteris, licet morbus viribus unicis naturae derelinquatur, leviora esse illis scabiei, illico edocemur propter diligens aegrotantium examen, scabiem cum zostere confundi non posse.

Scabies etiam et speciatim in stadio chronico, dum post pustularum rupturam primitiva scabiei forma disparet, et crustae, maculae atque abrasiones cutis enascuntur, cum herpete confunditur.

Attamen etiam hisce in casibus, discrimina, quae inter scabiem et herpetem existunt, praetervidenda non sunt. Et reapse herpetes plerumque ex profunda lesione systematis reproductivi dependent, quemadmodum ex scrofula, syphilide, morbo mercuriali, carcinomate frequenter promoventur. Porro scabies a contagio ingeneratur, per contagium diffunditur, dum herpetes potius hereditariam indolem agnoscunt; in herpete vesiculae, crustae, maculae et abrasiones coacervatim adparent, facillime ab una ad alias corporis partes migrant, faciem persaepe occupant; dein odor pustularum, vesicularum et abrasionum scabiei speciatios cum mucore convenit, dum sub pustularum et vesicularum ruptura, ex herpete potius odor ligni fracidi explicatur. Quibus omnibus quoque addendum est, per abrasiones herpetum frequentius, ac scabiei partes destrui, et pericula non modo formae sed etiam vitae aegrotantis majora imminere possunt. Demum quoties symptomata pathognomonica scabiei in mentem revocantur, haud difficile erit scabiem a pemphigo acuto et chronico lichene, eczemate, erysipelate pustuloso, aliis dermatitibus acutis et chronicis distinguere

Aetiologia

In scabie quemadmodum in omnibus aliis morbis dermaticis nonnullae dignoscuntur causae, quae ad morbum solummodo disponunt, et aliae quae potius excitantes appellari possunt.

Inter causas disponentes scabiei refertur peculiaris dispositio ad omnia contagia facillime suscipienda, quae quidem dispositio minime propriis manifestatur characteribus, sed quodammodo a posteriori cognoscitur, cum minima occasione data contagia propriam infensam actionem evolvunt.

Sunt etiam disponentes ad scabiem corporis spurcities, opificia nonnulla et methodus vivendi irregularis. Et revera praxi edictum est, scabiem frequentius super infimam populi partem grassari, et rarius homines excultos aggredi. Inter opificia, quae magis ad hanc dermatitidem disponunt numerantur illa fullonum, sarcinatorum, pistorum, sutorum, nam apud ipsos munditiei corporis frequentissime negligitur. Qui vero praeparationibus alcoholicis et metallicis incumbunt, rarius scabie foedantur. Sic teste professore Franck, homines qui destillationes spirituosas praeparant magis a scabie sunt securi, quoque Professor Scopoli dum uti physicus Idri saluti artificum fodi-

narum mercurii incumbebat testatur, se fere nunquam in artificibus ipsis scabiem conspexisse.

Causae vero excitantes scabiei praecipue dependent ex attactu hominum hoc morbo laborantium. Observatum quoque fuit, non modo per simplicem attactum aegrorum, verum etiam propter vestes inquinatas pure scabioso, hanc adfectionem ad alios homines diffundi posse.

Quoad originem hujusce morbi diversae prolatae fuerunt hypotheses, dum nonnulli a peculiari miasmate e superficie aegrotantis vel e vestibus ipsius exhalato repetebant; alii contagium admisere indolis ignotae, per quod morbus denuo ad alios diffunditur homines; demum quamplurimi hodierno aevo in eo conveniunt, quod contagium scabiosum pendeat ex peculiari insecto in pustulis evoluto cui nomen Acari exulcerantis seu scabiosi, aut Acari hominis concessum fuit. Clarissimus prof. Franck speciatim hanc opinionem protulit, et arbitrabatur, hoc animalculum in liquido pustularum scabiei enatare, atque, morsu et veneno sibi proprio, entem irritare, et proinde genesim hujusce dermatitidis promovere. Nuperrimis temporibus existentia peculiaris animalculi in pustulis scabiei extra dubitationem posita est a nonnullis viris, de observationibus microscopicis bene merentibus.

Nos vero praxi semper innixi consideramus

Acarum scabiosum, ut principem fomitem pro evolutione sed scabiei, vero eodem tempore candide fatemur, contagium scabiei peculiarem depostulare dispositionem, quae potissimum ex corporis spurcitie et erroribus diaeteticis promovetur.

Prognosis.

Quoties in scabie simplex phlogosis dermatica consideretur, illico compertum erit, hanc adfectionem per se, nullo consociari vitae discrimine. Attamen si mente attendimus, scabiem aliquando ad plurimas partes diffundi posse, nonnunquam difficili negotio eradicari; interdum si de repente cohibeatur internas reactiones, et quidem omnosas ingenerare, et demum aliquando post diuturnum decursum cachecticas ulcerationes inducere difficilis sanationis, vel etiam nisum reproductivum in universo corpore infringere clare demonstratum censeo, scabiem ipsam pro variis casibus diversam depustulare prognosim. Scabies proinde discretis pustulis insignita in juvenibus robustis sanis quoties ab initio apta tractetur therapeutica methodo, frequentissime absque pluribus difficultatibus resolvitur, et hinc prognosim faustam potius promeretur. E contra scabies quae per longum protrahitur tempus paullatim torbas ingentes in variis functionibus vitae organicae ingenerat, per ipsam enascuntur ulcera pravae indolis et

164

pertinacia, digestio difficilis et lenta redditur, dyspepsia, bradypepsia, saburrae gastricae, emaciatio, febres lentae ipsaque tabes in casibus gravioribus nonnunquam occurrunt. Hisce perspectis, scabies ceteroquin morbus non gravis in juvenibus et sanis, morbum constituit valde periculosum in individuis, quae jam gravioribus adfectionibus systematis lymphatici et gastrici adflictantur; pariterque maximo stipatur periculo, quoties infantes, neonatos, senes, viribus exhaustos et syphiliticos aggredi queat.

Exitus.

Triplici sub intuitu scabies dijudicari potest vel nimirum in salutem abit, vel in alios commutatur morbos, vel demum morte finitur.

Scabies rarissime viribus naturae relicta in sanationem vergit; attamen scabies ipsa recenter nata, in individuis ceteroquin sanis, propter aptam therapeuticam methodum facili negotio sanatur.

Frequenter scabies in alios convertitur morbos Adfectiones morbosae quae occurrunt sub decursu scabiei potissimum dependent ex improvisa hujusce dermatitidis retropulsione, ex erroribus diaeteticis gravioribus, incongrua therapia, vel etiam ex peculiari universali dyscrasia, qua corpora aegrotantium pessumdentur. Inter adfectiones quae occurrunt propter scabiem, specialem merentur

attentionem asthma, bronchitides, pneumonitides cardiopalmus, phthisis pulmonalis, hydrothoraces, cephalalgiae recurrentes, melancholia, emphraxis viscerum abdominalis, digestiones difficiles et lentae, ascites, diarrhoea, tumores articulationum et similia. Aliquoties ex ruptura pustularum scabiei exulcerationes in cute contingunt, quae quidem, licet cicatricibus operiantur, tamen formam cutis et systematis cutanei functiones plus vel minus defoedant atque alterant. Scabies per se tantum mortem ingenerare non valet, nisi propter marcorem, tabem et alias subsequas adfectiones. Jam diximus praeter scabiem veram, quoque spuriam in praxi adverti. In hac scabiei specie, prognosis et exitus variant, prouti ab hac vel illa causa scabies spuria ingeneratur. Solum observandum venit, quod scabies spuria ex plethora universali, saburra gastricis vel dentitione infantum facillime remediis antiphlogisticis, purgantibus et subemeticis resolvatur.

Therapia.

In curatione scabiei duo absolvenda sunt momenta, nimirum convenit in primis causas morbum inducentes tollere, et etiam causas morbo ipsi faventes vitare. Relate ad hanc therapiae paginam oporteret in primis aegrotantes scabie inquinatos sedulo effugere, pariterque exoptan-

dum esset, ne corporis cultura atque munditiea negligeratur. Hoc sub intuitu etiam errores diaetetici cujuscunque generis omni solertia praecaveantur.

Relate ad secundam indicationem necesse est, scabiem diversis medicaminibus, pro diverso morbi charactere debellare. Medico summopere internist inquirere, utrum morbus sit recens et simplex, vel potius chronicus, neglectus et aliis adfectionibus complicatus. Quoties morbus recens sit non valde diffusus, dum aegri sunt juvenes, plethorici, cum symptomatibus hyperstheniae universalis, convenit methodum antiphlogisticam adhibere, et externe ad inunctiones cum oleo olivarum, amygdalarum avenire. Una eodem tempore maxima corporis munditiei servanda venit, vestes et lintea frequenter mutentur; semel, vel etiam pluries in die ablutiones locales et baloea universalia consulantur; diaeta sit tenuis ex jusculis carnium, et herbis vegetabilibus. Quod si haec omnia non sufficiant, vel morbus jam ab initio majori intensitate se prodat, tunc remedia fortiora in usum vocanda sunt, uti essent sulphur, unguentum sulphuratum, unguentum cum vitriolo zinci aut floribus zinci Hoc sub intuitu quam plurima laudantur medicamina tam externe sub forma unguenti et suffimenti, vel balneorum, quam etiam interne sub forma pulveris, pilularum et

decocti. A clarissimo Jassero laudibus quam maxime extollitur unguentum paratum ex partibus aequalibus florum sulphuris, sulphatis zinci, pulvere baccarum juniperi cum sufficienti quantitate olei laurini. Hoc unguentum adhibetur ad vesperas ad drach. dimidiam circiter, ut instituatur frictio super volas manuum. Externe quoque contra scabiem commendatur unguentum ex floribus sulphuris, sale ammoniaco et axungia suilla. Hodierno aevo pereximius Jadelot collaudat unguentum ex sulphureto potassae, sapone medicinali et oleo papaverum. Angli ad sidera usque laudibus extollunt unguentum, quod nitro, helleboro albo, floribus sulphuris, sapone medicinali et axungia suilla componitur. Hoc unguentum adhibetur ad unciam unam in prima die omni sexta hora, in posterum dosis ad unciam semis solummodo adplicanda est. Generatim propter hoc unguentum pustulae quam plurimae erumpunt, quae quidem citissime exsiccantur et delabuntur. Post inunctiones, quae absolvendae sunt inter duo stragula lanea, aeger stragula ipsa derelinquere debet et dein corpus universum aqua saponata detergere. Medici angli testantur per hanc methodum intra biduum vel triduum ad summum scabiem omnino sanari. Suadent etiam, ut cura celerior absolvatur, stragula ipsa unguento imbuere, antequam aegri ipsis obvolvantur ex eo,

quod tunc promptius et facilius ab universa cute absorbetur, et proinde morbus facilius fugatur. Elapsis temporibus quoque unguentum citrinum seu factum ex mercurio metallico et acido nitrico cum axungia suilla, nec non unguentum Alyon commendabantur. In nosocomiis frequentissime unguentum sulphuratum simplex, unguentum sulphuratum cum sale ammoniaco, unguentum Neapolitanum, et unguentum sulphuris cum floribus zinci aut sulphate zinci scabiem devincere valent.

Praeter unguenta diversae indolis, externe laudantur lotiones, balnea et balnea vaporosa. Quoad lotiones frequentissime aqua calcis, solutio chlorureti calcis, et solutio hepatis sulphuris adhibentur. Ad mentem Justi peculiare suadetur fomentum, quod floribus sulphuris, sale ammoniaco, aqua calcis et aqua phagedaenica constituitur. Hac aqua, lotiones instituuntur potissimum de vespere super partes, ubi pustulae adparent, dein die subsequo aeger ingredi debet balneum universale. Alternantibus diebus, lotiones cum hac solutione, et balnea universalia instituuntur. Veteres contra scabiem maximi faciebant lavacra, quae parabantur seminibus sabadillae, nicotiana tabaco, helleboro albo vel nigro. Quoque spernenda non sunt contra praesentem adfectionem balnea naturalia atque artificialia sulphurica, quibus a nonnullis optimo cum eventu acidum sulphuricum additur

dilutam, ut pustulae scabiosae facilius destruantur.

Novissimo tempore balnea vaporosa et balnea sicca, juxta methodum a Gale propositam commendantur cum magno emolumento.

Interne uti jam diximus, ad scabiem debellandam pro variis casibus, modo antiphlogistica, modo purgantia, modo diaphoretica aptiulantur. In casibus pervicacioribus sulphur depuratum, flores et lac sulphuris, decoctum sarsaparillae, bardanae, dulcamarae, guajaci, sassafras, suadentur nec non limonese minerales, calomel, protosulphuretum mercurii, aethiops antimonialis, pulveres Plummeri et similia adjumento sunt.

Scabies quae aliis adsociatur adfectionibus, diversam pro varietate complicationum exposcit therapeuticam methodum. Proinde in complicatione syphylitica mercurialia, in scrophulosa solventia, et sic porro necessaria evadunt. Si forte scabies de repente disparet, atque internae et quidem valde ominosae reactiones contingant, sedulo tentandum erit, ut propter revellentia scabies novitus appareat. Ad hoc munus absolvendum praeter vesicantia et sinapismata, laudantur etiam urticationes et ipsa scabiei inoculatio.

In reconvalescentia convenit in usu balneorum atque frictionum continuare, quamvis minori intensitate, prae incremento et acmine morbi.

170

Quousque scabies perdurat, caveant ne aegri erroribus diaeteticis indulgeant, et omni solertia necessse est, ut corporis mundities excolatur. Etiam propter culturam corporis, et diaetam modicam, recidiva hujusce morbi facili negotio praecaveri poterit.

THESES DEFENDENDÆ

I.

Metritis mox metrorrhagiae, mox amenorrhoeae causa.

II.

Judicium sterilitatis, nisi causa adsit materialis nota, impossibile.

III.

Ad detegendum et investigandum arsenicum clarissimi Mons methodus praestantior.

IV.

Hysteria quandoque veneris denegatae sequela.

V.

Hydrops nequaquam a vasorum lymphaticorum debilitate pendet.

VI.

Suicidium non semper utpote mentalis aberrationis effectus habendum.

VII.

Metus ad omnes morbos, potissimum autem ad contagiosos disponit.

VIII.

In helminthiasi vermes sunt potius effectus quam causa morbi.

---

99 S9n470